

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4277

Auteur(s) : Hugues de Morville, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1217

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, évêque de Coutances, confirme l'échange fait entre Raoul de « Feraville » et l'abbaye de La Lucerne sur les dîmes de Tribehou.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° LIX, p. 51-52.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Hugo dei gracia Constanciensis ecclesie minister humilis salutem in domino Noverit universitas vestra nos inspexisse cartam Radulfi de Feravilla, militis, continentem hec verba:

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Radulfus de Feravilla, miles, salutem. Noverit universitas vestra quod cum abbas et canonici de Lucerna duas garbas decimatarum totius feodi Willelmi Bassi et duas garbas decime totius dominici Willelmi de Insula in Rameia, apud Tribehou, a triginta annis, et eo amplius, pacifice in elemosinam possedissent, tandem domini Hugonis, dei gracia Constanciensis episcopi, et aliorum virorum prudentum consilio, talis excambiatio facta est: Ita videlicet quod predice decime capelle Sancti Thome de Mesnillo Witer remanserunt, et ego Radulfus predictis canonici sex quarterios frumenti, ad mensuram de Tribehou, in excambiatione dictarum decimatarum, in feodo Ambrosii de Rameia apud Tribehou, perpetualiter in elemosinam assignavi, tali forma quod ipsi canonici in totali feodo prenominati Ambrosii et heredum suorum, nisi annuatim redditum suum in festo Sancti Michaelis habuerint, pro eodem redditu plenariam justiciam exercebunt; homagium vero de predicto Ambrosio et de heredibus suis habebunt, et pro detentione redditus sui et pro forifactis emendam rationabiliter judicatam obtinebunt. Et sciendum quod si ego Radulfus, vel heredes mei, in prefatum Ambrosium vel in heredes ejus, occasione hujus excambii, vel in alias elemosinas predictorum canonicorum, ubicunque fuerint, molestiam vel injuriam faceremus, predice decime et etiam istud excambium in puram elemosinam jamdictorum canonicorum, absque contradictione mei vel heredum meorum, libere revertentur. Preterea ego Radulfus dedi et concessi, pro amore dei et pro salute anime mee, abbacie de Lucerna et canonici ibidem deo servientibus duos boissellos frumenti in dominico meo quod Robertus Vasaullus tenebat de me apud Tribehou; preterea tenementum ejusdem Roberti Vasalli et piscariam de Veteri Roma, et dimidiad acram terre juxta cimiterium ecclesie Sancti Martini de Tribehou, et eandem ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis, et unam acram terre in Insula de Tribehou, ex dono Roberti Nepotis, jamdictis canonicis in elemosinam perpetuam, liberam et quietam de omni exactione seculari concessi. Hec omnia bona fide tenenda, sacramento corporaliter prestito, in presentia domini Hugonis, dei gracia Constanciensis episcopi, et multorum aliorum, sollempniter compromisi.

Ut autem prenominata excambiatio, et duorum boissellorum frumenti elemosinatio, et dictarum elemosinarum confirmatio futuris temporibus perpetuam obtineant firmitatem, presenti scripto et sigilli mei testimonio dignum duxi roborare. Actum est hoc anno verbi incarnati MCC septimo decimo, testibus multis.

Nos vero partes nostras adjungentes, ad petitionem dicti Radulfi de Feravilla, militis, omnia suprascripta episcopali auctoritate, presenti etiam carta et sigilli nostri munimine dignum duximus confirmare.